



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

328. Quantum temporis habeant Electores præfixum ad eligendum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

nem, aliàs legitimam; & validam annulat. Abb. ad c. innotuit. de elect. num. 22. ibidem Innoc. num. 5. Host. num. 21. Butrio num. 43. & alii, quos citat & sequitur Pass. num. 6. cit. c. 13.

4. Denique pari modo completur cessio, & Prælatus definit esse Prælatus non nisi per absolutionem à prælatura. Parif. de resign. l. 1. q. 12. nu. 11. Tamb. d. 5. q. 7. n. 3. citans Riccium, Pass. n. 7. ubi autem hæc acceptatio renunciationis intercessit, non est, re etiam adhuc aliàs integrâ, in potestate resignantis de beneplacito acceptantis remanere in eadem prælatura: Et si is eam iterum immediatè possit resignanti conferre, seu restituere, ubi ea electiva non est, vel ejus collatio non spectat ad alium ab acceptante. Pass. n. 8. contra Donat. p. 3. t. 3. q. 15.

Questio 326. Quando incipiat tempus electoribus à jure statutum ad eligendum?

Respondeo: non à momento, quo incipit vacare prælatura, sed quo hæc vacantia innotescit. c. quia diversitatem. de concess. prab. c. licet. de suppl. negl. prel. ibi. Innoc. Abb. Tamb. loc. cit. num. 4. Garc. loc. cit. num. 15. Iavor. loc. cit. num. 12. Pass. loc. cit. num. 16. Azor. p. 2. l. 6. c. 26. q. 10. &c. aut innotescere potest ac debet. Pass. num. 17. ita ut, licet in casu devolutionis prætensâ à Superiore, ad eum spectaret probare noticiam, sufficere probare, eos potuisse habere noticiam, & ab eo tempore intra terminum non elegisse. Pax Jord. l. 10. cit. 12. num. 24. Pass. num. 18. Undecunque demum hæc notitia habeatur; neque enim requiritur intimari Electoribus seu ecclesiæ mortem vel absolutionem prælati sui, ut vult Donatus; neque ex hac intimatione facta per Superiorem, aut ex publico v. g. Secretarii, Superioris, similisve testimonio procedens notitia juridica, ut vult Castel. sed sufficit notitia certa, undecunque hausta, ita ut in casu litis & contentionis, ubi constiterit electores habuisse, aut habere potuisse, si voluissent, certam noticiam absolutionis prælati, privantur electione, si intra tempus statutum, ab ea notitia mensurandum, non elegerint. Quamvis tamen, quia electores scire non tenentur, an eorum prælatus absolutus fuerit à Superiore, & vel hinc præsumi potest iusta in iis ignorantia istius absolutionis, ad vitandas lites opus erit intimatione, vel aliâ aliquâ notitiâ juridicâ. vide pass. num. 17.

Questio 327. Num ante sepulturam Prælati defuncti fieri possit electio successoris?

Respondeo primò: fieri potest ex rationabili causa, ut si ex dilatione immineret grave periculum Ecclesiæ, ejusque immunitati, v. g. ex violentia Principis alicujus. Barb. ad c. bona. de elect. n. 2. Mirand. tom. 2. q. 23. a. 10. Pass. num. 14. citans Rodriq. Castel. & Donat.

2. Respondeo secundò: etsi cessante gravi causâ, honestatis & æquitatis sit, non statim à morte insepulto adhuc Prælato fieri electionem, id tamen de præcepto non est, ita ut tunc facta electio ex eo præcisè cassanda sit. Gl. in cit. c. bona. v. tractatum. ibid. Abb. num. 11. & alii. Barb. & Mirand. ll. cit. Pass. num. 13. Tamb. d. 5. q. 7. num. 2. Lavor. c. 18. num. 20. Biax. p. 3. c. 2. & alii plures contra Hostiens. Garciam. p. 10. c. 2. n. 39. Majol. Rodriq. ab eo citatos, censentes c. bona. 36. de elect. & c. nullus. dist. 79. non tantum honestatem, sed & præceptum de hoc continere, & hinc talem electionem cassandam.

P. Leuren. Fori Benef. Tom. II.

Questio 328. Quantum temporis habeant Electores à jure præfixum ad eligendum?

Respondeo: quid sit de jure speciali, specialibusque statutis & dispositionibus in hoc sæpe diversissimis Collegiorum aliquorum, maximeque Religiosorum Ordinum, innixis bullis & privilegiis apostolicis iis concessis, quæ attendenda & observanda erunt. Rodriq. tom. 2. q. 57. a. 13. Mirand. loc. cit. Sigifin. dub. 16. num. 2. &c. (quamvis etiam electiones Provincialium, multòque magis Generalium totius Ordinis ex eo non comprehendendi c. ne pro defectu. dicat Pass. num. 36. quòd provincia regularis non sit Ecclesia singularis, sed Congregatio Ecclesiarum, mortuòque prælato talis Congregationis Ecclesiarum, singulæ adhuc sponsum retineant, nec patiantur illud detrimentum viduitatis, quòd aliæ singulares Ecclesiæ suo sponso viduatæ; neque sit eadem facilitas tam brevi congregandi tot Electores diffitos) de jure communi sunt tres menses, tam quoad electionem prælatorum secularium in Cathedralibus, quam Regularium. c. ne pro defectu. de elect. Quoad alias verò dignitates in Collegiatis, & beneficia, sive electiva sint, sive collativa, sex menses, intra quos de iis vacantibus providere debent, ad quos spectat, c. nulla. de concess. prab. c. licet. de suppl. negl. prel. & Clem. 1. tit. eod. In his enim minor est necessitas, & minus periculum ex diuturna vacantia, quam in Cathedralibus, utpote quibus, uti in illis, non est adjuncta jurisdictio in Clericos. Pirh. de elect. num. 243. qui nihilominus num. seq. citans Laym. de elect. q. 33. num. 2. Imol. & Abb. ad c. ne pro defectu. ait, valde probabile esse, ob adequatam rationis identitatem comprehendi quoque constitutione illa c. ne pro def. quoad trimestre tantum concessum ad eligendum, Ecclesiarum collegiatarum prælatos, qui & ipsi generalem ac ordinariam jurisditionem exercent ex speciali jure in Clericos suæ Ecclesiæ. Præsertim si sint exempti ab Episcopo seu Ordinario; eò quòd, licet dicta constitutio sit correctoria anteriorum canonum, provisioni Ecclesiarum non Cathedralium concedentium sex menses, cap. 2. de concess. prab. videaturque poenalis; censeri tamen potius debeat favorabilis; utpote cujus intentio est, occurrere periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitati. Porro computandi hi menses sunt, non ut unicuique tribuantur 31. dies, ut vult Host. in c. licet. de suppl. negl. prel. sed prout occurrunt in Calendario, v. g. dum tempus præfixum inchoatur prima Januarii, duret usque ad primam Aprilis inclusivè; idque, etiamsi is annus sit bissextilis. Bald. in cit. c. ne pro def. num. 3. Abb. in cit. c. licet. q. 33. l. 2. de matrim. d. 24. num. 15. Garc. loc. cit. num. 42. citans Roch. Boërium, Lambert. & c. Peyr. tom. 3. c. 9. num. 17. Pass. num. 25. Paxjord. lib. 10. r. 12. num. 30. Item computandi sunt hi menses de momento ad momentum, v. g. si notitia vacantia incipit primâ Januarii, horâ duodecimâ, trimestre terminetur horâ undecimâ mensis Aprilis. Garc. p. 10. cap. 1. num. 20. Peyr. c. 13. num. 4. Paxjord. num. 31. Pass. loc. cit.

Questio 329. An, & qualiter impeditis hoc tempus currat?

Respondeo primò: si impedimentum tollere nequeant electores, non currit illis tempus, c. quia diversitatem. de concess. prab. Gl. Abb. Barb.

M